



## **Theophili Raynavdi Societatis Iesv Theologi, Opera Omnia**

Tam hactenus inedita, quàm alias excusa, longo Authoris labore aucta & emendata : Accessit Tomvs Integer Complectens Indices Septemdecim in vniversum Opus, omnium quotquot prodierunt locupletissimos, Qvibus Absolvts Divinae Av Humanae Eruditionis Thesaurus Orbi literato aperitur ; Adiectus est ...

**Raynaud, Théophile**

**Lugduni, 1665**

Capvt XI. Qui defectus nostrales ab humana Christi potentia exequente, remouendi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79561](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79561)

num. 57. leges insuper, quæ pro Christi infantis in Aegypto miraculis, adducuntur à Baptista Poza l. 1. Elucid. Deiparæ tract. 1. c. 11. Tamen quia ante prædicationis Christi exordium, miracula non fuerunt adeo necessaria ad finem Incarnationis, idcirco parvis à Christo sunt edita. Extabat sanè olim liber de infantia Salvatoris, factus miraculis Christi, in pueritia & infantia editis. Sed eum Gelasij censura proseripit, cap. Sancta Romana, videturque eundem fortassis librum confixisse S. Chryostomus hom. 16. in Ioan. cum reiecit tamquam falsa, quæ tunc circumferebantur edita à Christo infante & puero. Senerissimè aduersus narrationes de his puerilibus Christi miraculis agit Ioannes Geometra in Carena Corderij ad cap. 3. Lucæ num. 78. vocans Diabolicas considerationes, & permaligni alicuius commenta. Merito item contra Marcionem, ut refert Anastasius cap. 13. ducis viæ, non alia Christi miracula agnoscit, quam quæ per prædicationis triennium edidit, quibus eius verbis, hoc seholium subiicit Anastasius. [Obersua, falsa & suppositicia esse, quæ vocantur puerilia Christi miracula. Neque enim apertè, luce palam miraculum edidit in terra, ut dicit Evangelium, ante miraculum illud in Cana Galilææ, ubi aquam in vinum mutauit, sed totos illos triginta annos, exemplo & more nostro transmisit, excepto solo peccato, ut restatur Paulus; quamquam verus Deus esset, & antè, & post assumptam carnem.] Vides quomodo Anastasius, intelligat illud Ioan. 2. hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilææ; nempe ut sensus sit, hoc fuisse primum miraculum quod Christus apertè edidit; utique ad sui manifestationem. Nam cum antea lateret, non egebat miraculis quibus doctrinæ suæ veritatem obsignaret. Alij aliter ea verba intellexerant contententes significatum verbis illis, miraculum aquæ in vinum mutata, primum fuisse quod paratum à Christo sit in illo Galilææ Oppido. Sed esse detorsionem loci Evangelici, rectè censuit Toletus ibi annot. 14. Reclamantque passim Patres, qui ut dixit Terullianus l. de Baptis. c. 9. auspiciatum Christum prima rudimenta potestatis suæ, vocatum ad nuptias affirmarunt. Videndi Ambrosius serm. 19. Epiph. latè hæc. 51. Theophilactus & Euthymius Ioan. 2. & pulchrè de eo miraculorum Christi exordio philosophans Isidorus Pelsiota l. 1. epistola 395.

*Breviculum Capituli & vsu doctrina.*

Summa doctrinæ capituli, hæc est. Fuit in Christo potentia, miraculorum & supernaturalium operum patris, non quidem quod Christi humanitati quæ tali, eiusve facultati exequenti, communicata sit ad modum formæ diuina omnipotentia, vel entitas aliqua additicia, ad edendos huiusmodi effectus idonea; vel quod humanitas, aut Christi externa facultas exequens, assumpta diuinitus fuerit ad efficienda physice eadem opera, (tamen id quidem impossibile non fuit;) sed quod ad Christi tamquam moralis causæ nutum, aliqua ferè facultatis Christi exequentis applicatione insinuatam, per Deum ut causam physicam, efficierentur, intra ambitum vrbis nostris & Christi officio consentaneum.

Vsu doctrinæ dabitur in calce sequentis capituli.

CAPVT XI.

*Qui defectus nostrates ab humana Christi potentia exequente, remouendi.*

474. **A** Liquor occurrit defectus, activitatem secundarum causarum affectantes. Primus est, necessitas contactus; unde fit ut non possint age-

re in distans. Secundus est, necessitas subiecti ex quo agant: unde oritur impotentia creandi quomodolibet, & annihilandi. Tertius est, limitatio ad certæ perfectionis effectus, commentos perfectioni talis causæ quæ admodum angusta est: unde causæ create liberæ, non possunt quæcumque volunt, sed tantum quæ sunt consentanea modulo perfectionis & actiuitatis eorum.

Ut intelligamus an potentia Christi executionis, pro ut instructa perfectione proximè explicata, seu pro ut habens Deum ad ea quæ Christus voluerit efficienda paratum, liberetur prædictis defectibus, non oportet attendere, an implicet contradictionem potentiam creatam physice operantem, liberari illis defectibus. Potentia enim miraculorum quam Christo concessimus, quoad Christum atinet, non est nisi moralis. Physica autem causa quæ ibi interuenit, est omnipotentia diuina, pro qua omnes quæstiones prædictæ euanescent. Nam & potens est ad agendum ubique, & ad creandum, & ad producendum quæcumque entia creabilia. Itaque quamuis non est quod circa potentiam Christi exequentem simus in hac parte solliciti, quia ut vidimus, non est physice causatiua effectuum supernaturalium, sed moraliter tantum; nonnulla tamen vestiganda sunt hoc loco. Primum est, an potentia præstandi quæ dicta sunt, fuerit de facto concessa Christo; hoc est an diuina potentia esset Christo ad manum, parata ad nutum eius operari effectum absque contactu, siue in distans; itaque create, & efficere quicquid Christo libuisset. Qua in parte pensandus erit scopus miraculis Christi supra naturam, & varia Christi opera in quibus notari potest exclusio defectuum prædictorum. Secundum quod hoc loco non videtur omittendum, est, quid dicendum foret ad eas quæstiones, dato quod Christus per potentiam obedientialem actiuam physice concurreret ad actus qui tribuuntur Christo ut causæ morali. Quia enim admittimus, potentiam obedientialem actiuam posse absque repugnantia defendi, & non pauci placeat, usurpatum de facto esse illam potentiam in operationibus quas Christus supra naturam eliciebat; merito vestigandum proponimus, quid eo supposito affirmandum consequenter foret in re præsentis. Occurrit etiam tertium quid hoc loco attingendum, nempe quomodolibet dicatur Deus potentiam Christi exequentem inuissè ad agendum supra naturam, eique ad id altissime, sicut interdum puris quoque hominibus assistit; quantoperè præcellentius Christo adfuerit. Erit enim ea potentia Christi prærogatiua non modica, nec omittenda in hac perfectionum eius expositione. Nam & ea in parte, defectuum nostrorum à potentia Christi exclusionem, licebit agnoscere.

*Potentia Christi exequens, libera à necessitate contactus.*

475. A primo defectu, siue à necessitate contactus, existimo liberam fuisse Christi potentiam; siue somatur moraliter, siue physice. In mea namque sententia, quæ dico Christum fuisse causam dumtaxat moralem talium effectuum, ferè cessat difficultas. Deus enim qui est causa physica operans illos ad nutum Christi, ubique est. Unde de effectu qui ab eo physice prodit, non potest quæri, an produci possit in loco distante à sua causa physica. Quod verò produci possit in loco distante à sua causa morali, dubitare non licet: quia necessitas contactus, est tantum pro causa physica. Itaque quod in mea sententia quærendum restat, illud dumtaxat est, an Deus fuerit paratus ad Christi nutum, agere aliquid in locis à Christo ipso distantibus. Sed hæc in re non potest esse difficultas. Videtur enim exploratum, concessam fuisse Christo prærogati-

ciam, vt ad nutum eius, Deus aliqua efficeret in locis ab ipso Christo distantibus: quæ actiones quia moraliter à Christo pendebant, Christo tribuebantur, vt caufe. Sic filium Reguli, sanauit procul positus. Animam item Lazari, reuocauit ad corpus à quo excefferat, vnde ab ipso item Christo qui Lazari cadaueri affabat, diuincta erat.

In sententia verò quæ potentiam obedientialem actionum agnoscit, eamque in Christo supra naturam operante miracula, exprompta fatetur; dubitari potest an concedi debeat, Christum potuisse agere, vel etiam de facto physice egisse in distans. Andreas Vega l. 7. in Conc. c. 1. 4. affirmat, id quidem esse possibilem addit tamen c. 1. 8. Christum non fuisse de facto assumptum, ad aliquid physice operandum in loco distante ab ipso Christo. Placet quod Vega ait, actionem in distans non repugnare diuinis instrumentis. Neque enim contactus requiritur in causa efficiente, ex communi ratione cause efficientis: vel ex aliqua eius conditione indispensabili, vt passim male censent Thomæ 1. p. q. 8. & ibidem Molina art. 1. disp. 2. ac Gillius l. 1. tract. 9. c. 4. & Rubius 1. de Gener. c. 6. q. 6. 2. & lib. 7. phys. cap. 1. q. 2. alique nonnulli: sed tantum exigit ob imperfectiõnem cause secundæ; quæ sicut est limitata perfectiõnis, ita debet habere spheram actionis limitatam. At non haberet, si posset vel ad modicum spatium agere in distans. Nam si actio non est continuanda per medium, virtus agentis non continuatur in spatio interiecto; ideoque per accidens est, quod distantia interueniens sit maior aut minor: quandoquidem neque nocet, neque conducit agentis, diuine operationi quod interponatur. Itaque agens quod non alligatur medio, habet spheram actiuitatis illimitatam: quod non congruit cum finitate creaturæ, & limitata eius perfectiõne. Eam verò imperfectiõnem agentis secundi, potest Deus supplere, assumendo illud secum ad agendum. Infinita namque virtus Dei, sicut habet spheram illimitatam, ita causam creaturam quam sibi adiecit cooperariam, potest consilio suo roborare, vt assurgat ad modum operandi, cui esse, & secundum virtutem suam limitatam, impeditur. Quare recte Vega, & Christi humanitatem, & omnia diuina instrumenta, admittit assumi à Deo posse, ad agendum absque contactu passii, siue in distans: subscrībique Bellarminus lib. 2. de Sacram. in genere c. 1. 1. ad vltimum Qunglijs. 5. differentia.

Quod autem Vega addit, Christum nihilominus non fuisse de facto assumptum ad agendum absque contactu, mihi non probatur, supposita sententia quam Vega tradit; nempe quod potentia obedientialis actiua, exprompta sic in Christi operationibus circa passia præsentia. Quidni enim admittamus expromptam similiter fuisse quoad passia loco distans, cum id prætere, æquè facile sit Deo assumenti, ac circa passia non abstantia spatio: Et ita factum agnoscent Suarez 1. 3. p. d. 31. sect. 7. & Cathag. in 4. disp. 3. diffie. 1. c. 6. Ac supponendo Christi miracula in res præsentis, facta esse per assumptam à Deo entitatem Christo congenitam; nec repugnare aliquid assumi ad agendum in distans; admittendum consequenter esse, miracula quoque facta in res à Christo distantes, eiusdem entitatis naturæ, & potentie obedientialis interueniente fuisse de facto peracta, recte pronunciat Valquez 3. p. disp. 13. n. 27.

Item à necessitate subiecti; vnde creare potuit.

476. Quoad secundum defectum propositum, siue necessitatem subiecti, res clara est in sententia cui subscripsi. Quia enim affirmari, perfectiõnem potentie exequentis in Christo Domino esse diuinam virtu-

tem assistentem, & ad eius nutum exerendam, quantum fert finis Incarnationis; propterea indubiè admittendum est, Christum æquè potuisse ad modum moralis cause agere absque subiecto, siue create, ac potest reliqua quæ eius potentie tribuimus, præstare super naturam. Nec dubito, quin ad hunc modum aliqua sint à Christo facta per veram creationem. Sic enim corpus suum & animam, creat quotidie in Eucharistia, vt loquitur Autor sermonis de cæna Domini apud Cyprianum. Nec dissimiliter loquuntur Hieron. epistola ad Heliodorum, & epistola ad Euagrium. Ademannus epistola ad Berengarium, & Paschasius lib. de corp. & sang. Dom. cap. 12. & 15. Aquam in Cana destructam planè substantialiter, & veram in vinum fuisse per creationem, significat S. Hilarius ferè initio libri terij de Trinitate sic enim scribit. [Nuptiarum die, vinum in Cana Galilææ, ex aqua factum est. Numquid consequitur aut sermo noster, aut sensus, quibus modis natura demutata sit vt aquæ simplicitas defecerit, & vini sapor natus sit? Non permixtio fuit, sed creatio: & creatio non à secepta, sed ex alio, in aliud existens. Non per transsubstantiõnem potioris, obtinetur quod infirmus est, sed aboletur quod erat, & quod non erat, capir.] Idem S. Pater paulò post, quinque millium hominum præter mulieres ac paruulos cibationem ex quinque panibus, (illam Cassianus lib. 6. de incarnatione cap. 1. egregiè suspicit, & exquisitè S. Paulinus epistola 33.) per creationem, vel potius recreationem & reproductionem eiusdem panis, fuisse peractam, his verbis significat. [Sed & de quinque panibus, non dissimilis facti admiratio est. Incrementis eorum, quinque millium virorum, & innumerabilium mulierum ac puerorum fames vincitur: fugit oculos sensus nostri, operis intelligentia. Quinque panes offeruntur, & franguntur, subrepunt præfringentium manibus quedam fragmentorum procreationes. Non imminuitur, vnde præfringitur, & tamen semper præfringentis manum, fragmenta occupant: fallunt momenta visum, dum plenam fragmentis manum sequeris, alteram sine damno portionis suæ conuerteris; inter hæc, fragmentorum cumulus augetur. Præfringentes in ministerio sunt, edentes in negotio sunt. esurientes saturi sunt, duodecim cophinos replent reliquæ. Non sensus, non visus, profectum tam inconspicibilis operationis assequitur. Est quod non erat, videtur quod non intelligitur, solum superest vt Deus omnia posse credatur.] Non improbat Toletus annot. 5. in cap. 6. Ioan. sententiam quæ panes illos à Christo propria creatione tunc productos, admittit. Euthymius tamen ibi, & S. Chrysostomus hom. 86. in Ioan. ex subiecta materia operatum tunc Christum existimant, sed aliud proferunt factum, in quo Christus absque subiecta materia, atque aded per veram creationem aliquid produxerit, nempe panes & piscem prunis superpositum; Discipulis in litore exhibitum Ioan. 21.

477. Hæc quidem non sunt planè certa. Vinum enim & panes, ac piscis, poterant per veram educationem à Deo ex aère aliæ materiae produci, aut ex propria terum illarum materia reproduci: Christi autem materiam & animam, in Eucharistie confectione per Christum, ac nunc etiam per Sacerdotes, plerique aliter exponi posse existimant quàm per veram creationem nouam corporis & animæ Christi. Quamuis igitur ex his exemplis non sit omnino exploratum, quod Christus vt causa moralis, aliquid propria creatione produxerit; tamen est factis verisimile ita factum esse, & præsertim de corpore Christi & anima, collocatis sub speciebus Sacramentalibus. Neque enim factis capio, quæ alia ratione commodè exponi possit ea

Christi collocatio. Discretèque ibi veram animæ & corporis Christi creationem agnoscunt Gabriel lect. 40. in Cano. *littera B.* & lect. 47. *littera B.* Less. lib. 1. 2. de diu. perfect. num. 119. *Egid.* 5. p. quæst. 75. n. 157. *Pelant.* ibid. art. 4. d. p. 1. *Suares.* & alij quamplurimi, in tractatione de Eucharistia.

Iam in sententia, quæ admittit Christi naturalem entitatem ad modum instrumenti physici assumptam esse diuinitis ad edenda supernaturalia opera Christo tributa, non pauci negant, potentiam Christi exequentem, fuisse aut esse potuisse, hoc defectu liberam. Censent enim eam necessariò quicquid egit, etiam pro instrumentum diuinum, egisse ex subiecta materia. Nimirum existimant repugnare, vt creatura assumatur à Deo ad creandum, tanta est sublimitas & eminentia illius modi operandi. Ita passim Thomistæ, & cum eis Granado 1. p. ad quæst. 44. specialitèr quæ quoad exemplum in quo negabam commodè declinari posse veram creationem, nempe exemplum corporis & animæ Christi in Eucharistia collocati, plerique planè negant, corpus Christi & animam, ab ipso Christo præexistente creari posse. Ita Gillius lib. 2. tract. 5. cap. 3. num. 4. Moncæus disp. 10. selecta c. vltimo Vasquez 3. p. d. 181. cap. 7. Albertinus Coroll. 3. de quant. dub. 3. Mendoza disp. 9. phys. sect. 13. quamuis duo postremi, potentiam obedientialem actiuam admittant.

478. M. hi ea sententia supposita, extra dubium esse videntur, potuisse in exemplis propositis, veræ creationi per Christum instrumentali ter elicite, locum esse. Nam posse creaturam assumi diuinitis ad creandum: perulgata inter recentiores sententia est, quam multis confirmat *Suares* d. 20. *Metaph.* serm. 3. & *Albertinus* Coroll. 1. ex 2. princ. compl. num. 3. Nec desunt qui eò deueniant, vt etiam vim principaliter creandi, posse creaturæ alicui communicari, fateantur: quos si nuda ratione quis aggrediatur, ægrè expugnabit. Multo minus igitur, si sermo sit de vi creandi instrumentaria, quæ sola ratione repugnantiam monstrante expugnari potest, censendum est, eam non debere negari creaturæ, si Deo lubeat illam ad sic operandum assumere. In illo item exemplo speciali, Christi seipsum in Eucharistia reproducentis per veram animæ & corporis creationem, nullam inuenio repugnantiam. Nihil quippe vetat, idem proxi iam habens esse, conuertere ad iteratam sui ipsius productionem: quamuis repugnet, aliquid ad primam sui ipsius productionem concurrere; quia sic, esset prius natura seipso omnimodis considerato: & quod non est, infuerit in alicuius productionem, quæ est manifesta repugnantia. Itaque admissa possibilitate potentie obedientialis actiuæ, ratum esto, potuisse Christum diuinitis assumi ad creanda alia, & ad recreandum, sine creatione reproducendum seipsum. An verò admissa possibilitate talis potentie, atque ad eò etiam admisso quod sine repugnantia Christus potuerit ad physicè creandum assumi, sit de facto assumptus à Deo ad sic operandum, videtur statendum consentaneè ad modum philosophandi de alijs operibus supernaturalibus: ita scilicet, vt si de facto dicatur expromptam in eis fuisse potentiam Christi obedientialem actiuam, & eatenus dicantur à Christo edita, non parcat eisdem potentie quoad opera exigentia creationem, vel commodius explicanda per eam: atque ad eò quoad omnia exempla superius proposita, præsertimque quoad productionem animæ & corporis Christi in Eucharistia.

*Non potuit tamen annihilare.*

479. Ex constitutis de creatione, erit qui insuper inferat, Christum vt moralem causam potuisse anni-

hilare seu destruere aliquid, nullo ei succedente in eodem communi subiecto. Est enim id minus, quam creare. Nihilominus non video fundamentum firmissimum id affirmandi, quia non apparet quomodo ad scopum Incarnationis conducere poterit annihilatio alicuius rei, seu tam plena abolitio vt nihil ei succedat. Metrum autem præparatæ Christo diuine assistentiæ ad aliquid patrandum, est opportunitas vel necessitas ad finem Incarnationis. Sanè inter omnes conuenit, Christum eam potestatem nunquam ad praxim reuocasse. Signum ergo est, non fuisse ad finem Incarnationis conducibile, vt Christus tale aliquid præstaret: atque ad eò nec præstare potuisse; defectu præparatiõis diuine assistentiæ, ad id exequendum pro Christi voluntate. Estque id multò certius, de physica annihilatione; per ipsum Christum vt per causam physicatam faciendâ: non quidem aliquid producendo, quod non esset annihilare rem præiacentem, sed concursum conseruatiuum subtrahendo: qua ratione aliqui ex ijs qui potentiam miraculorum Christi explicant per physicam assumptionem humanitatis Christi, cuiusve potentie exequenti, in physicum diuinitatis instrumentum, existimant Christum potuisse physicè annihilare quæcunque poterit physicè creare. Sed hoc non rectè affirmatur. Non enim si Christus poterit physicè creare, per assumptionem humanæ Christi potentie à Deo, sequitur Christum potuisse quoque assumi ad annihilandum, subtrahendo concursum conseruatiuum rei quam causa secunda supponitur non conseruare. Et quamuis diuinitis assumeretur ad eam conseruandam; tamen sicut assumptio non est in potestate instrumenti quatenus causa physica est, (non enim mouet nisi motum) ita neque subtractio actionis. Vnde quamuis posset exigere subtractionem applicationis ad cauendum & conseruandum effectum tamen hoc non haberet quatenus causa physica, liberè exerens vel sistens concursum suum; sed quatenus causa moralis, liberè persulans suæ per aliam applicationis subtractionem. Quare statendum est, Christum non potuisse annihilare.

*Quatenus posset Christus, quæcunque vellet.*

480. Postremus defectus causarum efficientium creaturarum, seu limitatio ad certos effectus, nominatimque pro causis liberis, exclusio potestatis faciendi quicquid velint, aliquatenus non cadit in potentiam exequentem, aliquatenus verò cadit. Nam quatenus aliqui effectus conducere poterant ad scopum Incarnationis, quicunque tandem essent effectus illi, eatenus suberant potentie Christi, nullo excepto iuribus voluntatis Christi plene efficacis. Quod addo quia fuerunt interdum in Christo uelleitates quædam, quibus mirum videri non debet quod desisset potestas, etiam moralis, seu per Dei assistentiam ad eatum obiectum exequendum paratam. Diuina enim assistentia ad nuntium Christi expromenda, decreta tantum erat, voluntatibus Christi omnino efficacibus ac plenis. Vt idcirco *Marci* 7. de Christo dicitur, quod latere uoluit nec potuit: nimirum quia non conceperat plenam & efficacem latendi uoluntatem. Hæc uoluntas quædam efficacem uoluntatem latendi quantum erat vt se, & quoad ea quæ per ipsum humano modo præstanda erant, vt lateret. Nam nisi hoc latere modo habuisset uoluntatem efficacem, non potuisset *Euangelista* addere, Christum latere uolentem, latere non potuisse. Qui enim planè inefficaciter uult aliquid, nec saltem ex parte sua adhibet omnia quæ nouit ad eius affectionem opportuna, imminet dicitur uoluisse & non potuisse: quandoquidem non omnia adhibuit, quæ ad manum erant, & quibus adhibitis consequi reuera potuisset effectum intenditum.

rom. Statuit igitur Christus voluntatem latendi, efficacem ad modum prædictum; non tamen plenè efficacem, qualem potuisset concipere: si nimirum voluisset, etiam per adactionem alienatam voluntatem, aut immutationem physicam potentiarum cognoscendam, impedire sui cognitionem, quod facile illi fuisset præstare, si expedire censuisset.

De huiusmodi voluntate plenè efficaci, verum est, Christum omnium eius obiectorum plenam potestatem moralem fuisse sortitum: & nihil sic voluisse, cuius executionem curare non potuerit, Deo illi ad exequendum addito. Et eatenus, Christi potentia exequens quæ voluntati efficaci subiungitur, caruit defectu inter nos vulgarissimo ac perpetuo, quo non omnia possumus quæ nobis allubescunt, quantumvis robusta, & vndeumque efficacis sit volitio nostra. Fuit tamen Christi potentia sic spectata, limitata ad certos effectus, quia re ipsa effectus omnes non habebant vnum aliquem ad finem Incarnationis; quæ sunt regulam morali Christi potentie constituta, ultra quæ diuina assistentia non erat Christo decreta ad exequendum. At Christi voluntas inefficax, vel non plena, cuiusmodi etiam quæ est aliqua ratione est efficacis, adiunctionem habuit impotentie defectum, omni labe & subiecti dedecore aut nota vacantem: eamque voluntatem spectando, rectè dicitur, non omnem Christi voluntatem fuisse impletam.

Vnde componi non incommodè queat, rixa quæ inter recentiores efferebitur, circa adimplerionem curiosis humanæ voluntatis Christi Domini, aliis affirmantibus omnem Christi voluntatem fuisse executionem mandatum, quod asserunt Suarez t. 1. 3. p. d. 3. 8. sect. 5. Præpositus 3. p. q. 1. 3. num. 26. Valentia disp. 1. quest. 13. p. 4. aliis è contratio, vt Valque 3. p. d. 3. 8. cap. 4. negantibus omnem Christi voluntatem efficacem, sortitam esse effectum. Componi enim hæc rixæ potest, distinctione duplicis efficacitatis in Christi volitionibus: ita vt quæ plenè & omnimodè effectus erant, iis adhibitis quæ per Christum quocumque modo, circa se aut alios, & inita quacumque ratione procedendi adhiberi poterant, semper implebantur & sortirentur effectum: quæ autem effectus erant ex parte Christi, quatenus præcisè operantis humano modo, possent irrita cadere, & effectum volutum non sortiri.

*Irrogatiua potentia Christi exequentis, supra cuiuscumque Sancti potentiam.*

481. Restat pendere, quàm perfectius potentia diuina potentiam Christi ad operandum supra naturam & roboraret & inuaret, quàm purorum hominum potentias roboraret & adiueret. Vnum insigne discrimen, licet obseruare ex S. Thoma 2. 2. q. 1. 8. art. 1. Ex eo quippe loco discernimus, diuinam potentiam puris hominibus non adesse per modum habitus & permanentis, sed tantum per modum transiens. Hoc de prophetia dono notauit S. Gregorius 2. Dialo. cap. 2. 1. & de eodem, alique donis intellectibus & voluntatis idem habet 2. Mor. à cap. 36. In potentia ergo exequente, idem defectus notari debet in puris hominibus, quantumvis Deo dilectis. Non enim semper eis afficit ad patranda quæcumque opera supra naturam; nec ea virtus extraordinarie operandi fuit in illis quasi habitualiter & permanenter; sed quando ita Deo videbatur, assistebat illis diuina omnipotentia. At in Christo, quia vnio erat perpetua, & ex vnione conseqeuebatur debitum illius supernaturalis assistentia, necesse fuit eam habitualiter & permanenter intervenire.

Nec est quod quis in contrarium opponat, illud ipsiusmet S. Marci de Christo cap. 6. non poterat ibi vir-

tutem illam facere, vtique apud Nazarenos Christi ciues, incredulos ad Christi voces. Non potest inquam, hoc opponi aduersus prædicta. Neque enim Christus absolute dictus est non posse, qui reuera ibi quæque virtutes facere poterat. Deus igitur dumtaxat est non posse conuenienter, & ex suppositione decreti sui, de non edendis miraculis frequentibus apud incredulos, quales erant Nazareni. Sicur enim D. Augustinus lib. 1. contra Gaudent. c. 30. fecerit non posse per potentiam, & non posse per Iustitiam, quod scilicet salua honestate fieri non potest ita fecernere etiam possumus, non posse per potentiam, ab eo quod est non posse per decentiam.

482. Obseruant quoque sæpè Pates, insigne discrimen inter Christum & puros homines quoad potentie miraculorum expromptionem. Puri enim homines, expressa, aut vt S. Thomas art. illo 1. notauit, tacita prece exequebantur miracula: de qua tacita prece, accipiendus est S. Gregorius 2. Dialo. cap. 30. vbi videtur asserere sanctos absque precibus eisdem se aliquando miracula. At Christus, quia simul homo & Deus erat, potestate operabatur. Vt cum dixit, *uolo mundare*. Non ita amici ponit, hoc est vnum omnes, sancti reliqui. [Si qua sanè (inquit S. Bernardus serm. 13. in Cant.) in sanctis digna laude vel admiratione intueor, clara luce veritatis discutiens, profecto reperio laudabilem siue mirabilem alium apparere, atque alium esse: & laudo Deum in sanctis eius. Sive sit Helifæus, siue ille magnus Helias, mortuorum vtique suscitatores: ipsi quidem suo non imperio, sed ministerio foris exhibent nobis noua, & inuenerat. Deus verò in ipsis manens, ipse fecit opera, inuisibilis & inaccessibilis in se; in suis spectabilis, atque mirabilis est, & solus mirabilis; qui facit mirabilia solus. Nec laus calami, laudabilis est pictura siue scriptura; nec gloria linguæ aut labiorum, sermo bonus.] At Christus quia homo simul & Deus erat, pro potestate operabatur, & ex imperio, non ex ministerio. Vnde absolute loquendo ad præstanda miracula non egebat oratione.

*Breniculus capitis, & vsu doctrina.*

483. Summella capitis hæc esto. Habuit Christus, & aliquando exprompsit, moralem agendi in distans & instrumentaliter creandi potestatem, nostratibus variis defectibus liberam: id quod æquè locum habet admissio Christi tamquam instrumenti diuini, physico influxu in opera supernaturalia quæ patrabat. Exequi verò quodcumque voluit, (quod nos nullo modo possumus,) potuit Christus, quando plenè & efficaciter voluit.

Vltus doctrinae esse debet, sanctificare iuxta Isaiaz monitum cap. 49. despicientem animam suam: id est iuxta interpretationem S. Cyrilli lib. 5. pentab. cap. 5. exornare laudibus, & omni veneratione prosequi contemptibilem sibi, & in oculis suis humilem Christum, lampadem quoque contemptam apud cogitationes diuinit, re ipsa autem Dei splendorem atque virtutem. Quæ enim adeò humilis ac despecta apparebat Christi externa species, occultebat summam potestatem, quantam hæcenus expressimus. Quare meritò idem Isaiaz cap. 2. iuxta 70. Iudæos in Christum irruerentes, & iniurios, illis verbis affatur. *Quiescite ab homine cuius spiritus in naribus eius, quoniam excelsus repumatus est ipse*. Id est interprete Cassiano l. 9. de Incar. c. item 5. tantam potentiam, in tanta externæ speciei vilitate abditam veneramini, eique obstrepere cauetis.

Optimè hunc, doctrinae propositæ, vsu nexuit ac miscuit cum alio Origenes, quem subijcio. Demirans homil. 6. in diuers. tantam Christi in tam dejecta specie

poten

potentiam, ac recte turbas, non interrogantes sed asserentes de Christo dixisse; *Qualis est iste & quia venit & mare obediunt ei.* [Qualis est iste, hoc est, quantum, quam fortis, quam potens, quam magnus? Qualis est iste, maior Mole, potentior Elia. Illi enim ambo, quorum vnus ligno mari percusso cum labore discedit, alius ictu melioræ, Iordanem transijt. Iste vero vno verbo mandat illis qui non habent verba, & obediunt ei qui non habent auditum, & obtemperant ei. Hi qui prudentia & intellectus expertes sunt, inclinantur iubenti. Quibus neque loquela, neque sermo, obediunt. In eadem autem substantia in qua sunt, & sua natura mouentur, & eius iussioni de eruiunt, ad confusionem mortalium, ad condemnationem corruptibilem. Iubet mari, & non contemnit: dicit ventis ac tempestatibus & max. compescitur: iubet & omni creaturæ, & non supergreditur iussionem eius: Et vnum hominum genus, & vnum quod secundum similitudinem Dei honoratum est, cui verbum & prudentia data est, hi soli homines resistunt, hi tantum inobedientes sunt, hi soli contemnunt. Ideoque & hi in iudicio damnabuntur, & à iustitia punientur, vel deteriores mutis animalibus, vel iis que sine spiritu & anima sunt in isto mundo. Mirabantur ergo illi quia mare compescitur, & venti mitigati sunt: admiremur & nos, quando benignitatem & benivolentiam ostendit circa nos Dominus; quando nos de periculis saluare dignatur; quando de tumultibus nos liberat; quando ab inimicis insequentibus eruit nos. Miramur, & mirantes gratias agamus, grati obediamus, obediens timeamus, timentes diligamus, vt æternæ charitatis ab eodem hædes efficiamur. Mirabantur dicentes. Qualis est iste? sicut homo videtur, & sicut Deus potentiam ostendit: sicut vnus carnalium putatur esse, & super omnia carnalia, magna ostendit mirabilia. Dormit sicut homo, & imperat mari & ventis sicut Deus: In nauicula sedet, & omnem creaturam iussione inclinatur, vbi vult, Iesus Christus Dominus noster.]

## CAPUT XII.

*Decora potentia Christi exequentis, sacris titulis iuxta Patrum interpretationem expressa.*

484. **Q**uod studium circa substantiales Christi partes, & reliquis eorum facultates exornandas collocauimus, prolatis illustribus earum ex Scriptura titulis ad mentem Patrum expositis; idem circa hanc postremam Christi facultatem impendere operæ pretium est. Paucos ergo flores huiusmodi titularum decerpemus, per quos huius potentia dignitas & nobilitas innotescat.

*Calamus scribæ citi.*

S. Athanasius in Psalm 44. ita intellexit Psalmem; & à celebritate exequendi absque obice quacunque animo destinaret Christus, & eloqueretur, dictum putat calamum scribæ citi. Exemplum profert, ex leprosi curatione, & ex adolescentis filij viduæ Naim suscitatione. Vt enim ad illum dixit, *mundare*; ad hunc vero *surge*; illico mundatio & suscitatio est subsecuta.

Locum hunc D. Athanasij ex commentariis in eum Psalmum, descripsit Nicetas in Catena Græca Psalmorum, ex quo illum descripsimus l. 2. sect. 5. c. 2.

*Manus tornatiles plena hyacinthis.*

485. Rupertus lib. 5. in Cant. æquè hunc titulum tenuit ad citam & expeditam mirabilium operum executionem per Christum. Sic enim scribit. [Nemo alius manus in faciendis signis atque prodigijs, ita tornatiles, & ita antea habuit, id est, nemo ita velox

& potens existit in huiusmodi; ex omnibus quicunque mira in hoc mundo sunt operati. Qui corno operatur, facilius citius, atque perfectius operatur. Sic ille dilectus multo facilius, longè citius, valde perfectius, mira que voluit operatus est, quam aliquis ex operarijs virtutum, quicumque à seculo fuerunt. Illi namque multo sudore, multis orationum atque ieiuniorum impendijs, multo clamore cordis & oris; aliunde, sine ex Deo, acquirere & obtinere mererentur, cuius bet (quam vtique in semetipsis, vel ex semetipsis non habebant,) virtutis effectum: hic autem solo motu, sola voluntate, solo imperio, interdum & tacito, quod voluit operatus est. Exempli gratia, cum dixisset in nuptijs, *implete hydras aqua*, non solum non clamauit, aut orauit, sed nec voce sua, sine laborum motu, iussit saltem aut dixit, *conuersantur vel conuertimini aqua in vinum*; sed de hoc omnino tacuit, *haurite nunc* (inquit) *& ferte Archibricino*, scilicet & certus quod satis sensisset natura, conditoris sui tacitum nutum. Nec mirum! Ipse namque erat, & est, antiquus tornator, qui tornauit calum & terram, & spherica Solis & Lunæ, cunctatunque stellarum corpora, toro suo, id est, imperio velocissimo. Eadem pulcherrimè prosequitur Philippus Abbas lib. 5. in Cant. cap. 22. Sed quod vix aliquid habeat à Rapto diuinitatis, abstinere eius adseriptione.

Locum Canticorum de Christi potentia, quem Rupertus ex vulgata editione retulit, S. Ambrosius in Valentini monodia, vertit *manu eius tornata, aerea, plena tharsis*; Et sensum esse dixit, in Christi factis & operibus, reniteret gratia. Daniel Melanctonus ad cap. 16. Palæoti de sacra fido num. 13. multas Doctorum sacrorum interpretationes profert, horum verborum: additque vnam ipse quoque, de Christi manibus tornatis clauo confixis, plenis caelestium donorum. Sed hoc mysticum est.

*Venter eburneus, distinctus Saphyræ.*

486. Fortitudinem potentia Christi in fragili & molli admodum substantia humanitatis, eisdem summam puritatem, & caelestem sanctitatem, intermicanibus diuinis actionibus Deum in summa vilitate prebentibus, hæc verba preferunt, vt passim ea exponunt PP. in c. 5. Cant. & perpulchrè Petrus Damiani serm. 1. de S. Ioanne Euang. [In membris (inquit,) humani corporis, vix aliquid ventre fragilius, sine tenerius inuenitur: ideoque per ventrem rectè fragilitas in Christo assumpta humanitatis accipitur. Ebur autem os est elephantis, quod videlicet animal, ferret esse castissimum, frigidissimæque naturæ. Venter ergo sponi eburneus est, quia suscepta Redemptoris humanitas, ab omni peccatorum contagio, casta profusus, & inuicta permanfit. Siquidem peccatum non fecit, nec dolus inuenus est in ore eius. Saphirus autem lapis est, ferreni calicem habens: Vnde & in visione Domini dicitur *erat sub pedibus eius quasi opus lapidis saphiri, & quasi calum cum serenum est.* Per saphiros ergo opera diuinitatis intelliguntur, quæ in carne Dominus ostendebat. Venter ergo sponi distinctus erat saphirus, quia Christi humanitas diuinis virtutibus resurgebat. Nec plenus saphiris esse dicitur, sed *distinctus* ita videlicet, vt inter saphiros candor eboris appareret, quia sic Dominus ex parte hominis assumpti operabatur humana, vt aliquando nihilominus ex parte Deitatis ostenderet & diuina. Nam e(urire, sitire, flere, postremo crucifigi, & mori, humanitatis erant opera; miracula vero facere, & non solum alios, sed semetipsum etiam à mortuis suscitare, euidensissima erant diuinitatis indicia. Hoc itaque modo Beatus Ioannes, quasi eburneum ventrem sponi, (saphiris distinguit.)

Philippus Abbas l. 5. in Cant. cap. 23. idem egregiè est prosecutus, concludens his verbis longiorem distipationem.